DE SUBMERSIONE DISSERTATIO QUAM AD LAUREAM MEDICAM...

Filippo Pavan

DE SUBMERSIONE

Dissertatio

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

ASSEQUENDAM

PUBBLICI JURIS FACIT

PHILIPPUS PAVAN

PATAVII

TYPIS PENADA

1839.

CONSORTI AMATISSIMO
ADVOCATO
BARTHOLAMAEO PAVAN
VIRO
MENTIS ET ANIMI DOTIBUS EXIMIO
QUI
CONSILIO ET OPERE
ME AD GLORIAM HUJUS DIEI
VELUTI MANU DUXIT
HUNC QUICUMQUE SIT LIBELLUM
AESTIMATIONIS ET GRATI ANIMI
TESTIMONIUM
D. D.
PHILIPPUS PAVAN

DE SUBMERSIONE

PROOEMION

Tanta est interdum mortalis miseria, ut perturbata mente, vel animo perverso sibi ipsi voluntarie exitium paret, aut suo simili necem machinetur. Cuncta fere naturae beneficia in damnum ab homine verti possunt, et nefanda scelera niti fortuito tegere casu. Incassum vigent leges, medicus et incassum sudat, homicidium, autochiria cum infausto insonte miscentur eventu.

Omnia detegere crimina medici non est, sed tantum quae in relatione cum medicina extant. Istis suos constituere cancellos, et ultimam differentiam ponere immensum foret opus: Et sicuti medicus crebro a magistratu circa submersionem sciscitatur, ne justum legesque violentur, et crimina sint inulta, ita non indecens mihi videtur si quod tantum ad submersionem spectat strictim absolvere puto.

Regulas quam verissime potero scripturus sum, unde in submerso cadavere criminosa vel accidentalis emergat nex, simulque pateat an submersio voluntaria, an ab aliis inducta, an in fluido mors enata sit, an vita functum in aqua corpus deje-

ctum, rationem insuper addendo qua submersi moriuntur, ac tandem pauca explanando de submersorum adspectu, ut meae brevitatis et socordiae nomen non imponatur opellae.

Submersi descriptio.

Objectum commiseratione dignum submersi, neque adhuc putrescentis hominis refert adspectus. Crines incompositi nonnullas faciei partes obtegunt, voltus pallidissimus interdum tumidus sublividus fere violaceo vel plumbeo conspicitur colore, oculi semiclausi, turbidi una cum notabili mydriasi, ut in narcosi videre est, observantur; amygdalae, uvula, labia, lingua interdum tumescunt, et haec inter dentes porrecta; respiratio non est amplius, ingenti spumae copia oris cavus obtegitur; thorax depressus adparet; cor non micat indeque motus est abolitus; nullus sensus; membrorum frigus per omnem extenditur corporis ambitum; variae ad digitorum apices, ad frontem, ad genua, ad cubitos adnotantur excoriationes; arena et limus saepe sub unguibus inveniuntur; in membris denique maxima adnotatur rigiditas.

Diversa, immo opposita interdum phaenomena occurrunt, et revera si in aqua calida sive in lacuna, ubi deleteria evolvantur principia, vel sub ebrietate, aut nimia stomachi replectione accidit submersio, tunc oculi videntur suffusi vultus praeter tumiditatem subrubescit, venae jugulares tume-

scunt, atque omnia apoplexiae symptomata conspiciuntur.

Mortis ratio.

Veterum fuit sententia, ex nimia aquarum ingurgitatione mortem oriri; cujus de falsitate quoniam multi jam sunt locuti, praetereundum censeo. Tantum meminisse sufficiat Zacchiam dum ait " aqua submersi, non ex copia aquarum bibitarum, " sed ex spiritus interceptione suffocati pereunt, " et Felicem Plater qui parum in ventriculo fluidi extare monuit; quod cadaverum autopsiae in posterum saepe saepius ostenderunt.

Liquidum in respirationis organa intrusum submersos necare plurimi pervulgarunt, Senak (1), Curry et Petit nil aquae in dictis invenerunt viis, Morgagni (2) e contra Haller (3) Louis (4) Berger, (5) a primis dissentiunt. Interim Mahon, Fodéré, Colemann nunc spumosum lacticem aut cum sanguine nuptum, aut aquam simplicem, nunc aërem, et non raro nec aërem nec aquam pulmones et bronchia invadere. Et revera id contingere debet quemadmodum elucebit ex his, quae infra monebimus.

(1) Mémoires de l' accademie Royale des Sciences an. 1725.
(2) De sed. et caus. morb. Epist. XIX. n. 21. et seq.
(3) Elemen. physiol. lib. VIII. sect. 4. Respirat. et opusc. pathol. p. 175. et seq.
(4) Oeuvres divers. de chirurg. T. 1. Noyés.
(5) Journ. géner. de médec. T. XXIV. pag. 230. et seq.

Igitur si verum, quod verissimum, istud variare phaenomenon, quomodo inconstantem effectum pro constanti causa retinere fas erit? Si a glottidis contractione, aut relaxatione ab inspiratione vel expiratione, a submersi positu vel motu, a calore, a putrefactione, a pathematibus, terrore, nixu, syncope, spasmo et sic porro supradictae pendent differentiae, quis non cernet istas claudicare opiniones?

En alii ut Boerhaave, et Cullen qui cum vidissent nonnullos morte in aqua detentos tumidum rubrum ac lividum praeseferre vultum, nimis praepropere ex sublata respiratione sanguinem ad cerebrum magna irruere in copia opinantes, mortis in culpam apoplexiam adduxerunt. Ast in plurimis alius generis repentinis mortibus, rimato cadavere vasa turgebant cerebri, et ut bene Forthergill monuit, nulla erat de apoplectica morte suspicio si quidem causa patebat. Ex Ponteau (1) et aliis non semper cerebrum sanguine turgescere constat. Aliunde numquam in submersorum capite sanguinis extravasatio fuit, ut saepe in apoplecticis. Praeterea pulsus et respiratio, ut notat Fodéré per aliquod etiam longum in apoplexia vigent tempus, numquam in suffocatis vel submersis; neque si ad vitam denuo redeant a paralysi detinentur, quemadmodum apoplecticis saepe contingit. Cerebri tumescunt vasa in necatis a peripneumonia, vel aliis respirationis vitiis dum sanguinis regressui ad

(1) Oeuvr. posth. lib. II. pag. 180. et seq.

cor obstacula adsint, quo obice apoplectici carent. Ex dictis ergo liquide patet effectum et non causam istum pathologicum esse statum; quamobrem cum J. P. Frank (1) dicam: in apoplexia immediatam submersorum necis causam non extare, vero adsociari posse dum ex. gr. per traumata caput concutitur.

Ad contractiones cordis suscitandas sanguinis arteriosi in corde sinistro incitamentum Curry requiri defendit. In submersis oxygenatio est manca, et circulatio cessat, et mors juxta illum a stimuli apti defectu in corde insurgit.

Non in oxygenii divitia sed in sanguinis calore Menzies (2) cordis sinistri impulsum ponit; quapropter suppressa per submersionem respiratione, caloris evolutione impedita, cor sinistrum immoratur, et asphyxia oritur.

In tot tantasque dissensiones quomodo veritas elucebit? Ad hoc nil melius quam casto ratiocinio mutationes quae in submerso contingunt indagare. De primo oppressionis sensu, qui in demerso homine insurgit, de necessitate motus sive natatum ut nonnulli per instinctum ajunt tentandi, de inspiratione vel expiratione nulla verba faciam, cum parum mea intersint, et ab aliis auctoribus clare et abunde pertractata fuerint.

Medicorum quamplurimi defendunt nil vel par-

(1) Epit. de cur. hom. morb. t. VII. pag. 200.

(2) Tentamen physiol. inaug. de respir.

vam aquae copiam, et ad necandum non sufficientem, pulmones animalium ingredi, quae parum aut multum sub aqua aërem ducere tentant. Cito enim, ob insolitum aquarum stimulum spasmo detenta, glottidis coarctatur rima, uti quotidiana docet experientia si quid fluidi in glottidem bibendo cadit; Aëre intercluso, silent et pulmones, sistit in illis sanguis, nec parvus circulus est amplius. Cor sinistrum et arteriarnm motus, nobili liquore ad venas dimisso, neque amplius ob pulmonum remoram reddituro pro incitamenti defectu quiescunt; cor dexterum, venae cavae, et trunci venarum majores atro replentur sanguine, qui, oblato motu, chemicis obedit legibus.

Verum talisne assidua demersi hominis sors? Minime sane. In brutis quibus praeter instinctum (scilicet habitudinem juxta Condillac, cui et organisationis differentiam addam) nullus intellectus viget hoc equidem decretum est: sed saepe homo incipit mori ubi vita periclitatur. Menti Ponteau, et Desgranges hoc non effugit quorum iste (1) duplicem statuit submersorum necem, per asphyxiam videlicet nervosam vel absque materie, vel e syncope enatam, et per illam quae cum materie, vel a suffocatione aut repletione fit. De mea fateor ignorantia, sed quid hoc in casu sub nomine asphyxiae cum materie intelligatur nescio. Si jam declaratum in viis aëreis perventam aquam tantam haud esse, ut

(1) Mémoire sur le moyens da perfectionner le trait. des noyés.

suffocationem inducere possit ubinam erit decantata materies? si pro simplici occasionali causa aqua glottidis spasmo inducendo inservit, si a circulo sublato mors enascitur, nonne ipsa asphyxia spasmodica est vocanda?

Quod si pro ista materie sanguinis intelligatur in corde et pulmonibus congestio, quamvis practicam utilitatem hujusmodi habeat divisio, attamen cum plenitudo et congestio hujusmodi secundaria sit, et ab aëre intercluso, ut supra notavimus pendeat, itidem hoc in casu asphyxia spasmodica erit.

Cum syncope clonica ab hysterismo inducta Fodéré asphyxiam absque materia aequat, me non praeterit inopinatae mortis horrorem, pathemata vehementiora et frigus ipsum tam humanam percellere posse mentem, ut cordis functiones illico supprimantur. Quis vero quaeso vidit hominem, vel animal qualecumque dum submergitur uno ictu fundum petere, vel fluctuare ut materialia, neque cum morte colluctari? sed transeat nam rationi suppositio non obstat. Syncope quidem custodiat hominem dum aqua submergitur, quid eveniet? Dum tanto detinetur malo, idem est in aqua ac in aëre, nam spiritus abrogatur, si mors e syncope exsurgit, et non a submersione, haec ultima in nexu causali cum morte non est sed simplex rerum adjunctum. Ergo ista mors ad submersionem non spectat, ut illa a traumate in capite inducta dum corpus in aquam dejicitur. Si syncope transit, in-

felix spiritum tentat, sed incassum; coarctata glottide ob aquarum stimulum, cum sensibilitas et irritabilitas redditae sint, mors enascitur.

Si quis in medium proferre mallet, aquam tempore deliquii cuncta organa aërea invadere, et, illo evanescente, veram cum materie asphyxiam evenire, respondebo: Curry tentamina in animalibus adhuc vivis suscepta, et in liquida colorata demersis huic obstare adserto; os saepissime clausum narium flexum, epiglottidem et glottidis fabricam, mucositatesque aquis ingressum difficilem reddere, qui adhuc difficilior evadit, cum perfecta relaxatio solius verae mortis sit, et in syncope aliquid vigeat spasmi.

Mortis differentia.

Duplici sub genere forensis medicus submersorum perpendit necem; primum, quod verae submersionis est, ab aqua in homine producitur vivo, et vel fortuiti eventus sistit effectum vel sceleris alicujus vel propriae mentis perturbationis. Alterum superiorem agnoscit causam, aqua nempe tantum cadaver accipit, nam mors evenit prius per infortunium aut per homicidium.

De necis per submersionem signis.

Exanimi per aquam corporis hypotyposis hujusce dissertationis initium tenet, quam resumere

inane foret; melius erit cuncta notata phaenomena aequa lance ponderare, nec non internas mutationes scrutari, ut verum clare luceat.

Et in primis pallor, oculorum suffusio, mydriasis non semper lethi de quo agitur haeret lateri. Phthoës, narcotica, pathemata homines necant talia signa imprimendo; turget et interdum vultus, violaceo vel plumbeo tingitur colore ac si jugulatio praecesserit: sic defendunt practici. Pyogenesis defectus, aliorumque phaenomenorum syndrome phthisim excludere possunt; nulla venefica in ventriculo ac intestinis substantia, illorum integritas, et signorum quae per autopsiam inveniuntur in toxicatis absentia, narcoseos suspicionem removent. Cruor in pathematica nece non expellitur a corde sinistro, quod e contra in submersis accidit. A jugulatis quoque plurimum submersi discrepant. Non dicam constantiora esse exposita signa, ast numquam cum illis confundenda, quae dictis mortibus sunt propria; sint quidem certis sub circumstantiis cadavera paria, si una varietas adsit quae illa sejungat, satis erit nec communia erunt contemnenda.

Minus certe in amygdalarum turgore, uvulae labiorum linguae tumore, rubore, elasticitate indicia erunt quaerenda. Meras echymoses, nullas phlogoses post mortem insurgere evictum est. At istae gigni possunt conditiones per plurimas causas, antequam homo in aquas procumbat.

Digitorum extremitatum ac frontis, genuum, cubitorumque excoriationes, sabulaque sub unguibus

magni facit Ambrosius Paré (1) quae tamen indicia adesse, vel abesse posse persuaserunt Fodéré et Mahon. Dum fatis agitatus acerbis homo, propriam intuetur destructionem, nervos universos intendit, fortius circumstantia arripit omnia, unguibus ripas fundumque carpit. Aliter quandoque prorsus se habet submersus; fluitat in gurgite vasto; alveus et litora fugiunt; nullam contusionem patitur; nil duri apprehendit; frigoris et sensus illum inertem reddit; illum fluctus rapiunt, pavore exanimatus infelix morti non adversatur; deliquium, syncope in scenam prodeunt, et placida evenit mors. Non raro vino oppressus, vel epilepsia detentus inscius stygias trajicit undas. Cum notum scelestis sit quanti hoc medici aestiment signum, victimam illi mactare, excoriationes digitis imprimere, sabulum unguibus submittere, eamque tandem aquis committere possunt ut antochyriam, vel fortuitum simulent eventum.

Nec plurimi signum faciendum arbitror sanguinem ad cerebrum profluentem, nec vultum tumidum, nec oculos rubros extra orbitam projectos, nec pulmonum diastolem et thoracis elevationem, cujus phaenomeni Fodéré, Morgagni et Haller experimentis suffulti frequentiam proclamant, dum Colemann, et Louis hoc rarius observavisse declarant. Caeterum antedicta phaenomena communia sunt jugulatis, rariora submersis.

(1) Opera omnia lib. XXVIII.

Absque deglutitione, in ventriculum nil transire veteres dum crederent, mortis per submersionem criterium in ventriculo quaesiverunt. Si quid fluidi illi ubi cadaver inventum est analogi digestionis organa invadit, statim necem in fluido ortam esse declarabant. Plater vero et Conrad-Boeker (1) contrariam tenent sententiam. Cum oesophagus tubus sit membranaceus amplus, et mediocris capacitatis, non intelligo cur aqua post mortem intra ipsum penetrare nequeat, praecipue dum cadaver fluctibus jactatur. Si tubum decimi lineae diametri aquam inire physica docet, cur vetitum per guttur erit? Nec fides est habenda illorum opinioni, qui post mortem oesophagum coarctari dicunt, cum nulla de hoc ratio adducatur.

In fistula aërea et pulmonibus tandem aqua vel latex spumosus quandoque adparent. Circa hocce argumentum spectabiles viros inter se discrepare nemini latet, ut jam supra monui. Tantum celeberrimi Morgagni verba subjungam dum ait (2) *Docebit simul id quod consequitur, notam, ab Littrio quoque laudatam, ad eos qui vivi ab iis qui mortui in aquam projecti sunt, ex illapsa intro aut non illapsa aqua internoscendos, facilem alioquin et in questionibus medico-legalibus haud inutilem, non omni ex parte pro perpetua esse accipiendam.* Qui ex aquae ingressae cum spiritu connubio spumam explicant, quomodo

(1) De submers. morte sine potu aquae.

(2) De sedib. et caus. morb. epist. XIX. num. 44.

De-Haen pericula explicabunt? Cadaver aquis committebat ille et postea spumam in istis inveniebat. Non melius fors istud repetendum est phaenomenon a muco in mortis agone expresso, et cum aëre nupto? Aqua in trachea illapsa (nonnulli ajunt) animal cogit ad illam evacuandam sed frustra, nam aquarum undique pressio obstat. Ast si aërem emittere animal potuit, cur non aquam? si erat in eodem fluido, obstacula erant paria. Spiritum ducendi desiderium, hinc, necessitas heterogenea expellendi inde imperat, et validioribusstimulis magno nixu reagit vis vitalis. Me aquam in spiritus viis descendere posse ex dictis credere nemo inficias ibit, nam non ignoro nervorum actionem cito supprimi posse, et glottidem liquido non reagere, et plurimas alias circumstantias quandoque concurrere, quas aestimare impossibile foret. Notare oportet quod viscerum abdominis corruptiones, diaphragma et pulmones premendo istum laticem spumosum generare valent.

Concludam ergo non sejuncta, sed insimul collecta enarrata phaenomena nondum solvere valere, et eo magis quod de submersi anamnesi eluceat.

Mors ante submersionem.

Ad lethum ante submersionem dignoscendum, quale prudens medicus inditium leget? Cunctam corporis superficiem, normales hiatus caute examinare, nec non internas cavitates unde vulnera,

corpora peregrina, venena detegi possint, illorumque effectus ponderari opus medici erit. Saepe grassator cultro, vel plumbeo utitur tormento. Fortuitae laesiones a laceratione, contusione, inaequalitate, fracturis, luxationibus erunt notatae: hinc loci ubi cadaver inventum est, vel in aquam immissum fuit scrutinia non erunt contemnenda, nec non aquarum cursus, marginum alvei altitudinis et objectorum circumstantium. Echymoses, et mortuorum maculae numquam cum capistri sulco erunt confundendae, neque oblivissendum contusiones et vulnera ante mortem illata, elastica, inflammato halone cincta, tumida esse, non sicca coarctata et livida. An vulnera et contusiones veram induxerint mortem, vel tantum comitaverint quandoque arduum est discriminare, sed quae jam dicta fuere accuratissimo perscrutando, quaestio solvetur.

Submersio per autochiriam.

Utilis fieri potest suicidii partitio a violento scilicet animi motu et desperatione, vel a lento vitas taedio inducti, quae ad istud dilucidandum argumentum suam quoque confert symbolam. Primo enim in casu cum mentis conditio sit maniae similis, facile est, submersionem statim animum perturbare ut delirium cesset, ac naturae jus illico restituatur, quapropter dum totis viribus imminenti periculo obsistit homo non parvam aquae copiam identidem ingurgitabit. In altero, anglica melan-

cholia prehensus pacifico vultu mortem intuebitur, eamque cupitam libenter amplectetur; siquidem sensuum alienatio est perfecta, nec per submersionem mutatur. Qui diu vitae exitum cupivit, dum aquae fundum petit nulla detinebitur salutis spe vel amore, immo avide undas vocabit ingenti aquae quantitate promptam consequi necem sperans. Quae vero suo pretio valent; nam saepe cum morte dum colluctatur homo in suis propositis fluctuat, et audivisse recordor quemdam fuisse naufragum, qui cum omnium sanctorum patrocinium frusta invocasset, desperatus aquam avide hauribat ut finem tot poneret miseriis, secundoque eventu postea interitum effugisse. Et revera nemini latet nonnullos furentes post vulnus sibi illatum, alterum et alterum renovasse, nec se poenituisse facti. In utroque casu a mentis perturbatione mortis desiderium procedit, et ista mentis perturbatio organicum vitium saepissime pro causa agnoscit. Dicta vitia sub intima calvariae ossificationis abnormitate, pleurarum effusionibus, jecinoris, ventriculi parectamate, scleromate stentosibus etc. cystisfellae et bilis ductuum calculis, vel sub lenta intestinorum plerumque militant phlogosi. Si itaque morbosis istis metamorphosibus, (quae tamen interdum plane abesse possunt) adjungatur conditio loci, ubi mors eventi et attenta cadaveris, exploratio, haud saepe perarduum erit mortis per autochiriam juditium eruere.

Metuens non raro in sua mutari sententia ob

mortis formidinem homo, sibi revincit manus pedesve, aut arma in proprium vertit corpus, dum in aquam praeceps ruit. At imprimis perdifficile ausum strenuum ligare hominem: legamina aliunde stricta fortiora in homicidio erunt, et profundas in corpore impressiones relinquent, insuper contusiones et alia denotantia vim vi fuisse repulsam signa non invenies. Istorum absentia, laquei relaxatio, curiosa constructio adeo ut multi egerit temporis qui illum efformavit una cum signis pro morte voluntaria notatis suicidio declarando pares erunt. Quoad vulnera notandum est definitas, automatico fere modo vel potius organisationis causa, eligere corporis partes qui violentiae sibimetipsi inferunt quod mei designare non est, inque iis quae de laesionibus habentur medicorum tractatubus aptius erit quaerendam. Hoc tantum mihi monuisse sufficiat, vulnerum numerum, positum, directionem, profundum, et coetera caute et probe perspicienda esse ad veritatem detegendam, magna enim accuratione opus est dum de re agitur admodum dubia.

Submersio per homicidium.

Per alius apertam vim nex ab aqua inducta scelus constituit quod detegere non semper medici in potestate est, cum tot fere sint rerum varietates quot sunt hujusce criminis exempla. Fortuiti casus, vel autochiriae ex dictis suspicione repulsa, alia jam enucleata mortis per submersionem signa, illis

nupta quae vim adhibitam denotant saepe verum deteget. Discissus huc illuc erit amictus incompositi divulsi fors etiam capilli, caesum corpus, cutis foedata unguibus, saepe quoque erunt vulnera sed alia quae mortem statim inducere non valuissent, et illis plerumque corporis partibus sita, in quas difficiliter sauciatus homo proprias ferre manus potuisset. In hoc tamen scrutinio caute erit procedendum, ne cum violentis laesionibus, mortis effectus, damna per lapsum vel per corpora in aqua extantia confundantur. Quomodo se habeant laesiones et vulnera in vivum illata vel in mortuum alibi notavi. De ligaminibus quoque ubi de autochiria locutus sum mentionem jam feci, cui tantum addam nodos vel nexus tali fore pacto, ut numquam ex ipso homine antequam se in aquam proijcet factos fuisse, judicare queas.

Quod si per fraudem hoc nefas contingat, et vel in foeminam vel in puellum patretur, parva aut nulla cum fuerit obsistentia, plurima ex relatis deerunt signa. Tum subjecti notitia, loci ubi evenit mors et alia quae ad medicum non spectant forum una cum cadaveris inspectione judicio sternet in viam.

Ast tantum a magistratu quaeritur an quidam aliena vi dejectus in aquam, per id supremum obierit diem. Hisce in casibus non semper mors a suffocatione inducitur: timor ipse potest laethalem prognignere syncopem. Violentiae indicia una cum illis qui in syncope inveniuntur effectibus, a

necis per submersionem sejuncta signis, fors aliquando e labyrintho medicum educere poterunt.

Fortuita submersio.

Magnis medicus afficitur difficultatibus, dum cadavere veram fortuitam submersionem dignoscere tentat. Plures requiruntur notiones circa ea quae funeri praecesserunt ad hoc solvendum problema. Si vita defunctus epilepsia, convulsionibus, ebrietate, vertigine laborabat dum luce fruebatur, ejusque cadaver absque violentiae notis in aqua invenitur, de morte fortuita facillime concludendum erit. Sunt et nonnulli qui dum e loco eminenti deorsum aspiciunt, statim correpti vertigine nisi quid eos fulciat, delabuntur: semitam in lapsu decursam, saxa, truncos, et quidquid contusiones, traumata, vulnera efficere potest non contemnat practicus, ne leges decipiat, aut tale judicium ferat quod arti dedecori sit. Accurate autem perspiciat an demersus quum inter viventes esset aquarum timore facile frangeretur, an natatu delectaretur, an facile ab illa spasmi tetanici specie ab Italis *crampo* vocata detineretur; aquarum etiam conditiones, positum, limosum fundum vel non, et sic porro item exploret. Accidentales vero contusiones lapsu inductas, vel lucta cum morte, effectusve lethi a vulneribus arte illatis satis sejungere satagat. Tandem animadvertat nullam in fortuita nece ligamen esse, vulnus nullum, nec aliud autohiriae vel homicidii inditium

Verae per submersionem mortis signa cadaveris adspectus et dissectiones ostendunt. Ast non semper; velociter interdum timor exardescit mortis praesentia nullo extinguendum consilio; qua de re homosunsus amittit; frigorem ortis occupatur marmoreo, dum terrore jam decidit, neque adhuc ab aqua percutitur, quod potissimum evenit, cum e sublimi loco in imum procumbat. Huinc genus ultimum ad genuinam per submersionem non pertinet necem; ista dignoscere perarduum erit, nam terror suis characteribus leviter cadavera signat et mutationes illae cum plurimis confunduntur alius speciei necis indiciis. Homicidium per fraudem in foeminam aut puerum patratum, ubi nulla fuerit obsistentia a fortuita submersione sejungere sola per se nostra non sufficit ars, et prudentis est silere ubi veritas obumbratur. Attamen exposita collingendo et preventionem arcendo, verum fors elucebit.

Insuper actus practicus plurima offerre potest inditia, quae a generalibus refugiant legibus, et tantum a medici prudentia sunt aestimanda. Interim non obliviscantur benevoli mei duodecim rectores saepe nos animo falli, et raro hac super ne apodictica argumenta in medium proferri posse.

Mors apparens.

Tanta mortem inter et vitam heteronymia viget, ut profani moveantur risu quoties inter ipsos de

illarum differentia quaeratur, attamen perdifficile est plerumque illarum limina signare, et cum certitudine adserere hic vita finit, illus imperat mors. Qua de re Celsus ait (1) *si certa futurae mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti a medicis convalescunt, quosdamque fama prodiderit in ipsis funeribus revixisse?* Innumerae historiae ab expertis, et sapientibus relatae circa errores in quos nonnulli inciderunt satis hujus rei difficultatem comprobant. Cum vero res ita sit, quomodo vera in submerso agnoscetur mors? Forsan ex spuma in ore, aut in narium cavis ut sensit Hippocrates? (2) An sanguinis per os, per nares eruptio omnem aufert salutis spem ut animo volvebat Albino? An in oculorum suffusionè et obscuratione ut exposuit Louis? (3) His omnibus opinionibus ratio et experientia contrariant. De motus et sensus abolitione, corporis frigore, respirationis et circuli suspensione, membrorum rigiditate, sphincterum relaxatione, hippocratico adspectu, eorum fallacia Mahon disserte locutus est (4). Caute quoque judicandum, cum agatur de incipienti putrefactione, posquam illustris Haller historiam retulit a Meekren quoque enarratam cujusdam asphietici, qui danno ad vi-

(1) Op. cit. V. III. p. 20. et seq.
(2) Lib. II. cap. VI. de indiciis mort. Lausannae 1772.
(3) Aphor. 43. sect. 2.
(4) Sur la certitude des signes de la mort.

tam rediit etiamsi extremitates a putrefactione essent fedatae (1). Aliunde difficile est putrefactionem incipientem detegere.

Neque ipsum submersïonis tempus certum mi videtur offere posse judicium: nam quis naturam finibus circumscribere audebit? Nonne forsan nonnulli post aliquarum spatium horarum spiritum revocaverunt? Albinus (2). Sauvage (3) Peclin (4) simili referunt exempla. Quamquam extra probabilitatem retinendas credam historias ab Alexandro de Benedetti (5) a Zacchia (6) aliisque collectas, qui post dies et dies ad vitam rediisse submersos narrant.

Cum nil certi vigeat, quid consilii capiam coram submerso? Prompta instituam auxilia: nam dubium remanet an ille vivat nec ne. Etsi non semper votis respondeat effectus tamen pro solatio erit tentavisse opus, et uti mortalis est sancto muneri satisfecisse. Si nostra auxiliante mauu infelix reviviscat quaenam commotio! De effato magnanimi Alexandri Moscowiae imperatoris recordor, qui ad fluminis Wilna ripas postquam submersum villicum a mortis faucibus omni ope et opere feliciter eripuit, laotanti animo exclama-

(1) Fors melius a gangrena aut sfacelo.
(2) De meth. curand. submers.
(3) Lettera del Signor Sauvage al Signor Bruchier riferita da da questo nell'opera: sur l'incertitude des signes de la mort. tom. I. cap. I. §. 15. fogl. 210.
(4) De aër. et alim. defectu cap. 10.
(5) Lib. 10. cap. 9.
(6) Tom. 2. cons. 79.

vit : Bon Dieu ce jour est le plus beau de ma vie ! superbos docendo potestatem et opulentiam nullius esse momenti, nisi in hominum utilitatem convertantur. Nihilosecius ne ad merum empirismum nostra reducatur scientia, neve profani nos irrideant, ubi laesiones vel corporis corruptiones sint tales ut de salute jure meritoque desperare queas , tuam ne dato operam ; quod si tentabis, incassum dealbabis aethiopem.

De auxiliis submersis praestandis nunc agere deberem, ast sicut mea mens fuit quae ad medicum forensem attinent tantum disserere , ita illis prorsus ommissis, meae diatribae finem imponam.

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicamina quae saltem hoc stricte merentur nomen, scopo prophylactico adhibita, plus nocumenti quam utilitatis adducunt.

II.

Inspectio oculi aegrotantis non praetereunda ad morbi diagnosim rite perficiendam.

III.

Dantur casus in quibus anasarca a nihilo nisi venaesectionibus vincitur.

IV.

Tubercula non merum inflammationis productum.

V.

Ad certius dignoscendam qua pharmacon pollet virtutem, in morbis absque dubio notis, et solum porrigendum.

VI.

Arteritides licet frequentius aegro vivo audire, quam aegro mortuo videre.

VII.

Mater ubera filio negans sibimet et illi nocet.

VIII.

In febribus ataxico-dynamicis quatenus sic dictum typhum abdominalem constituunt charactere anatomici praecipue in systemate enterico inveniuntur.

IX.

In sero virtus nutriens cum antiplogistica nupta.

X.

Haemophtöe non semper incipientis phthiseos inditium.